Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Caput primum

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

6.
8.

Caput Primum.

De Naturâ Ecclesiæ.

Quatuor ~~[illegible]~~ circa Ecclesiæ naturam nobis examinanda veniunt, quid nominis nempe quid rei ipsa sit; quis illius auctor, et quænam illius origo. Hæc duobus duntaxat Paragraphis expendimus. Sit igitur.

§. Primus.

8. Quid nominis, quid rei sit Ecclesia.

Ecclesia, ut jam supra à nobis dictum est, nomen græcum idem significat ac evocatio„nem seu convocationem, sicque quilibet Conventus sive bonorum sive malorum Ecclesia nuncupari potest. at usu apud Christianos recepto Ecclesia idem est, ac fidelium Societas seu congregatio: quo sensu ab Apostolô sumitur Rom: 16. v. 16. dum ait: Salutant vos Ecclesiæ Christi. Et v. 23. Salutat vos universa Ecclesia.

Quandoque etiam in ipsâ S. Scripturâ Ecclesiæ vocabulum sumitur pro locô ipsô, in quo fideles congregantur ad preces fundendas, et sacra Deo facienda; quo sensu eam sumit Apostolus 1. Cor. c. 11. v. 18. his verbis: Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam p. item v. 22. Nunquid domos non habetis

ad manducandum et bibendum? aut Ecclesi- 7
am Dei contemnitis?? Vel non Judith
c. 6. v. 21. ubi textus sic habet: convoca-
tus est populus omnis, et per totam noc-
tem intra Ecclesiam oraverunt.

Propriè verò nomen Ecclesiæ hæsi- 9.
gnificat Societatem seu Cœtum Vocato-
rum. Quia nemo se ad populum Dei adjun-
git per se, et propriò instinctu, sed quotquot
veniunt, omnes à Dei vocatione praveni-
untur. Est enim vocatio primum benefi-
cium, quod Sancti à Deo recipiunt, juxta
Apostolum Rom. 8. v. 30. Quos vocavit, hos et
justificavit. Et hinc etiam idem Apostolus
in omnibus ferè epistolis suis Christianos sem-
per Vocatos nuncupat. Proinde quæ
in Veteri Testamento Synagoga, id est, con-
gregatio dicebatur; in Novo Ecclesia, id
est Evocatio nominatur, inquit S. Augus- a
tinus*. * In Psal. 81.

Hoc sensu Ecclesia pluribus modis 10.
sumitur: 1°. pro iis fidelibus, qui in
unâ eâdemque domo et familiâ commo-
rantur. Rom. 16. v. 3. et 5. Salutate Pris-
cam et Aquilam ..... et Domesticam Ecle-
siam eorum. 2°. Pro iis fidelibus,
qui in una Parochia sub uno Pastore de-
gunt. Ita passim apud Scriptores Eccle-
siasticos. 3°. Pro Cœtu fidelium,
qui totus in una civitate uni subjicitur
Episcopo 1. Cor. c. 1. Ecclesiæ Dei, quæ est
Corinthi. 4°. Pro eâ fidelium
Societate, quæ in pluribus Civitatibus

 et Diœcesibus, adeoque in una provinciâ vel etiam ampliori ditione et regione, natione aut regnô, vel etiam amplissimâ totius terrarum orbis parte uni et eidem Episcopo superioris cujusdam gradûs, qualis est e.g. Archiepiscopus, Primas, vel Patriarcha, subjiatur. Ad Tit. c. i. v. 5. Hujus rei gratiâ reliqui te Creta, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per Civitates Presbyteros, idest, Episcopos. 5°. Pro ipso Tribunali Ecclesiæ, seu pro ipso Præsule et Pastore Ecclesiæ, cujus est regere plebem sibi à Deo commissam. *Si autem non audierit, dic Ecclesiæ, idest, Ecclesiæ Præsulibus et Episcopis, quibus nempe data est potestas à Deo ligandi et solvendi; et per consequens regendi; act. 20. v. 28. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei &c. 6°. Denique sumitur Ecclesiæ nomen pro universo Christianorum gente. His præmissis

8) 2

b * Matth. 18. v. 17.

c * ibid.

11. Definimus Ecclesiam: quòd sit Cœtus hominum unius et ejusdem fidei Christianæ professione et eorumdem Sacramentorum communione conjunctus sub regimine legitimorum Pastorum ac præcipuè Romani Pontificis.

12. Legitimam esse hanc Ecclesiæ definitionem, habetur 1°. quòd in Ecclesia Christi duo essentialiter requirantur, conjunctio seu unio subiect eorum, qui idam constituunt; et subordinatio seu dependentia eorumdem ab iis, qui hanc societatem regunt et moderantur. Cùm enim

in Scripturis Ecclesia vocetur Civitas Psal. 9
47. v. 2. Matth. 5. v. 14. Apocal. 21. v. 16. Do-
mus ad Timoth. 3. v. 15. Regnum Matth. 13.
Ovile, Corpus, Colos. 1. v. 25. Non potest
sub iis titulis et imaginibus concipi sine
conjunctione et unione membrorum, et
dependentiâ ab iis, qui præsunt: atqui hæc
duo explicantur in nostrâ definitione,
unio scilicet, quæ fit per eandem fidei
professionem, et eorumdem sacramento-
rum communionem; necnon subordina-
tione, per dependentiam à legitimis
Pastoribus, ac præcipuè Romanô Pontifice.

Præterea certum est, prout suô locô 13.
demonstrabimus, esse in Ecclesiâ activam
judicii, doctrinæ, et regiminis auctorita-
tem planè indefectibilem et infallibilem;
quæ Laïcis non competit, sed Ministris à
Deo institutis propria est, quos qui au-
dit, Christum ipsum audit. Ergo rectè
definiri non potest Ecclesia sine legiti-
mis illis Ministris, quorum primus et Ca-
put jure divinô est Romanus Pontifex.

2°. Quia complectitur omnes par- 14.
tes Ecclesiæ, et ab eâ excludit, quidquid
ab eâ excludendum est. Tria enim in
Ecclesiâ notantur, quorum si vel unum
deest, non potest quis de illius corpore et
gremio censeri: Scilicet professio fidei
Christianæ, Sacramentorum communio,
subjectio legitimis Pastoribus. Defectu
primæ conditionis excludunturomnes In-
fideles et Hæretici. Defectu secundæ,
excludunturCatechumeni et Excomm-

10 micati. Defectu Tertia, exibuntur Schismatici, qui tametsi fidem habeant et Sacramenta, Legitimo tamen Pastori non obediunt, atque idcirò foris, et extra Ecclesiam fidem profitentur, et Sacramenta suscipiunt.

15. Hanc Ecclesiæ definitionem tradiderunt SS: Patres. Cyprianus Ep. 69. ad Rupian. Idi, inquit, sunt Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata et Pastori suo grex adhærens. atque pluribus necessitatem urget, quæ omnibus fidelibus incumbit, subjiciendi se legitimo Pastori.

Ante ipsum S. Irenæus lib. 3. adv. hæres. c. 3. Successionis Pastorum in Ecclesiâ præsertim Romanâ mentionem faciens: ad hanc s: Romanam nempe Ecclesiam, inquit, propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis est traditio. Deinde Romanos Episcopos enumerat usque ad Eleutherium, qui tunc temporis sedebat, additque per eos, Apostolorum traditionem et veritatis præconizationem usque ad suam ætatem pervenisse.

16. Tertullianus lib. de præscript. c. 31. longo textu Successionem Apostolicam in veris Apostolicis Ecclesiis requirit, existimatque, ad rationem veræ Ecclesiæ necessariam esse Pastorum legitimam Successionem, debitamque iis obedientiam quos, nisi Apostolis, aut Apostolicis viris

Successisse compertum sit, tamquam legitimos, 11.
et veros Christi Sponsæ Ministros ac Pastores
non esse agnoscendos pronuntiat.

Optatus lib. 2. cont. Parmen. postquam 17
descripsit dotes et ~~[illegible]~~ characteres Eccle-
siæ Catholicæ, subjungit dependentiam
~~[illegible]~~ seu subjectionem legitimis Pastoribus
in quibus occurrit illa Successio, et præser-
tim Episcopo Romano, qui sedet in Ca-
thedra Petri; postmodum refert omnes
illos Pontifices, qui à S. Petro usque ad
Syricium hanc Romanam Sedem occupa-
runt, in qua una Cathedra, inquit, uni-
tas ab omnibus servatur ..... ut jam Schis-
maticus et peccator esset, qui contra sin-
gularem cathedram alteram collocaret. Et
paulo post ~~[illegible]~~ adversarios suos adloquens:
Vestræ Cathedræ vos, ait, originem reddi-
te, qui vobis vultis S. Ecclesiam vendicare.

S. Hieronymus Ep. ad Damas. Pap. Ego, 18.
inquit, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ
Petri communione consocior; super il-
lam petram ædificatam Ecclesiam scio.
Quicunque extra hanc domum agnum co-
mederit, profanus est.

S. Augustinus ep. 55. alias 165. ad 19
generosum, inter argumenta, quibus
probat, veram Ecclesiam non esse apud
Donatistas, illud potissimum affert, quod
petitur ex Successione Episcoporum, præ-
sertim Romanorum, quorum seriem te-
xit à Petro usque ad Anastasium, qui
suâ ætate Romanæ præerat Ecclesiæ:
In hoc ordine Successionis, inquit, nullus
Donatista Episcopus invenitur.

12
20. Hanc à Veteribus ad se transmissam doctrinam retinuêre posteriores SS. Pontifices, inter quos Gregorius IX. qui saeculo 13tio rebus Ecclesiae praefuit, cp. 198. lib. 13. sic loquitur: Licet plures populi in cultu sint catholicae fidei congregati, omnes tamen una consentiunt Ecclesia, dum uni capiti Christi Vicario et Beati Petri Successori cervice reverentiam ~~exhibent~~ exhibent: reliqui verò, qui se ejusdem capitis membra non constituunt, quasi monstra sine capite in viam perditionis abscedunt pp.

Solvuntur Objectiones
21. Contra datam à nobis Ecclesiae definitionem.

Ob. 1o. Pars nobilior et anima Ecclesiae est fides Spes et Charitas. Atqui in adatâ à nobis definitione earum nulla fit mentio. Ergo in ea nulla fit mentio partis illius nobilioris; adeoque non est integra, nec proinde bona.

Resp. cone. totum argumentum. ad id quod infertur Resp. manam esse definitionem nostram, si ad partem Ecclesiae invisibilem respiciatur; secus si ad visibilem. Per nostram definitionem praesuppositis iis, quae ad Ecclesiae animam pertinent, ut sunt fides, Spes et Charitas, nonnisi partem illius visibilem, seu Societatem illam exteriorem, quae corpus Ecclesiae dicitur, et constat exteriori fidei professione, Sacramentorum participatione, necnon legitimis Superioribus et pastoribus subjectione, quae omnia continentur in nostra definitione, intelligimus; omninò integra ergo ea est.

Inst. 1.° Sequitur ergo, quòd ii, qui 13
ad Ecclesiæ animam non pertinent, necnon 22.
virtutibus Theologicis destituuntur, sint
tamen Ecclesiæ membra. atqui hoc est
absurdum. Ergo ꝓ.

Resp. Dist. Maj. Sequitur eos
posse dici Ecclesiæ membra imperfecta,
arida, putrida, et mortua, conc. per-
fecta et viva neg. maj. Qui fide,
spe, et Charitate destituuntur, exteri-
ri tamen professione Ecclesiæ sociantur,
sunt quidem membra illius, sed imper-
fecta, arida, putrida et mortua, quippe
qui interiori Ecclesiæ animâ sint des-
tituti. Ergo non quidem ad Ecclesiæ
animam pertinent, benè autem ad illi-
us corpus, quippè qui illius sint membra.

Inst. 2.° Membrum mortuum 23.
non est verum corporis membrum.
Ergo qui ad Ecclesiæ corpus duntaxat
pertinent tanquam membra mortua,
vera non sunt Ecclesiæ membra.

Resp. Dist. Ant. Membrum mor-
tuum non est verum corporis mem-
brum, si ab ipso corpore sit resectum,
conc. si adhuc corpori sit conjunctum,
quamvis tamen ab anima non informe-
tur subdist. non est verum mem-
brum vivens, conc. aridum et imper-
fectum, seu etiam mortuum neg.
ant. Sicut in homine membrum
etsi aridum nec ab anima, ut ajunt,
informatum, tamen quamdiu ab

14 ipsius corpore non est praecisum, non desinit esse illius membrum, licet mortuum; sic in Ecclesia, qui illius animâ, quo in fide, Spe, et Caritate interiori consistit, destitutus ~~est~~ quidem est, sed tamen exteriori professione illi sociatur et conjungitur, membrum illius esse non desinit, quamvis aridum et mortuum.

24 Ob: 2.do Haereticorum Societas habet et professionem fidei externam, et usum Sacramentorum, necnon subjectionem legitimis Pastoribus. Ergo etiam ipsa est vera Ecclesia.

Resp. Dist. Ant. Habet professionem Fidei externam integram et fundamentô certô et invariabili subnixam, Sacramenta utilia et omnia, Pastores Apostolicos et legitimos missione ordinariâ aut extraordinariâ praeditos, necnon continuâ successione sibi substitutos; neg. Ant. Sensim invenitur apud Haereticos; conc. ant. et neg. cons. Responsionis nostrae veritatem suis locis demonstrabimus.

§. Secundus.

25. De Autore et Origine Ecclesiae.

Duo hic nobis expendenda veniunt, primum, quisnam sit Ecclesiae auctor, secundum, quenam sit illius origo, et antiquitas, seu quandonam inceperit.

26. Quantum ad primum, notandum, quod quatuor Ecclesiae causae ab Apostolô designentur Ephes. 5. v. 25. 26. 27.

Efficiens his verbis: Christus, qui se ipsum 15.
tradidit pro ea. Materialis, fideles, quos Apostolus ipso Ecclesiæ vocabulo designat: formalis, conjunctio ipsa fidelium inter se, et cum Christo tanquam capite; quæ quidem unio tribus præsertim modis stringitur, scilicet ejusdem fidei professione, eorumdem Sacramentorum participatione, et ejusdem regiminis auctoritate. Finalis duplex, proxima, Ecclesiæ, et eorum, qui ad illam pertinent Sanctificatio; remota, adeptio Salutis et felicitatis æternæ. Utramque declaravit Apostolus his verbis: Ut sanctificaret illam.... Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. Circa has Ecclesiæ causas nulla invenitur difficultas, nisi quoad Efficientem seu auctorem Ecclesiæ. ~~[illegible]~~

Conclusio 1ª 27.

Solus Deus est auctor Ecclesiæ potestate independentiæ et suprema auctoritatis; et solus Christus potestate excellentiæ et ministerii principalis: homines vero ad ipsius fundationem concurrerunt in genere causæ ministerialis inferioris.

Tres sunt hujus conclusionis partes. igitur Pars prima.

Pb: 1ª pars 1º Quia Deus universim et solus 28.
est operator omnium. Ergo etiam solus est auctor Ecclesiæ. 2º Quia hoc titulo etiam Ecclesia speciatim Dei ipse dicitur, act. 20. v. 28. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Ergo si Ecclesia Dei est, tum ipse illius auctor

16 esse dignoscitur. 3tio. Quia illius duntaxat esse potest auctoritate suprema Ecclesiam instituere, cujus est independenter à quocunque alio homines ordinare ad finem sanctificationis per gratiam, et salutis per gloriam: Atqui hoc solius Dei est, Psal. 83. v. 12. gratiam et gloriam dabit Dominus. Et Job. 14. v. 4. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Item solius Dei est, præscribere Ecclesiæ media necessaria et accommodata ad suum finem tum gratiæ, tum gloriæ obtinendum.

29 Pb. 2da Pars. Quia Christus est auctor fidei et Sacramentorum, in quibus fundata est Ecclesia: fidei quidem Heb. 12. v. 2. Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ. Sacramentorum verò, quia sicut passim observat S. Augustinus, quando dormivit Christus in cruce, implevit id, quod significatum fuerat in Adam, cui cùm dormiret, detracta est costa, et inde Eva efformata; sic Dominus cùm dormiret in cruce, lanceâ latus ejus apertum est, ex quo Sacramenta fluxerunt, unde facta est Ecclesia. Ergo ipse est Ecclesiæ auctor, et quidem per potestatem excellentiæ et ministerii principalis: ipsi etenim, in quantùm homo est, major potestas convenire non potest; neque etiam aliâ ratione auctor fuit Sacramentorum, quemadmodùm docent vulgò Theologi.

Pb. 3tia Pars. 1º Quia re vera quo- 17
rundam hominum, scilicet Apostolorum, 30.
ministeriô Deus uti voluit ad fundandam
Ecclesiam à se institutam, quantùm ad
executionem nempe institutionis ejusdem
Ecclesiæ: Hinc dicuntur Apostoli funda-
menta Ecclesiæ Psal. 86: Fundamenta
ejus /: id est, Ecclesiæ :/ in montibus Sanctis
/: id est, Apostolis :/ ut vulgò explicant SS:
Patres et Interpretes. 2º Quia
disertè profitetur Apostolus se fundamen-
tum posuisse illius ædificii Spiritualis apud
Corinthios: Secundùm gratiam, quæ data
est mihi, inquit, ut sapiens architectus fun-
damentum posui; quod quidem postea
affirmat, non aliud esse à Christô. Ita 1.
cor. 3. v. 10. et 11. 3º Quia ad Ephes.
2. v. 20. Prophetæ et Apostoli Ecclesiæ et
mystici Templi fundamenta dicuntur: Super-
ædificati super fundamentum Apostolo-
rum et Prophetarum.

Nec etiam obest, quin Sacramenta 31º
ad ædificationem et formationem Corpo-
ris Ecclesiæ in genere causæ efficientis et
instrumentalis concurisse dicantur. Sunt
namque signa visibilia à Christo divini-
tûs instituta, quibus Societas populi Chris-
tiani coadunatur; eaque tam necessaria
sunt ad communionem et Societatem in-
ter homines devinciendam; ut propterea
dictum fuerit à S. Augustinô lib. 19. contra
Faustum Manich. c. 11. In nullum nomen
Religionis seu verum seu falsum coadu-
nari homines posse, nisi aliquo signacu-

18. lorum vel Sacramentorum visibilium consortiô colligentur.

32. Quod originem et antiquitatem Ecclesiæ spectat, observandum 1.º Ecclesiam considerari posse tribus modis. 1.º Secundùm latissimam significationem, prout nempè dicit multitudinem quamdam ex Angelis, sanctis hominibus, et fidelibus constitutam: quo sensu S. Augustinus in Psal. 36. ait: Ex omnibus fidelibus et Angelis fieri unam civitatem sub uno Rege, unam quamdam provinciam sub uno Imperatore. 2.º Juxtà minùs latam significationem, prout nempe dicit multitudinem omnium fidelium tam Veteris, quàm Novi Testamenti; et ut hoc modô quis dicatur fidelis, sufficit fides in Christum simpliciter, abstrahendo à fide explicitâ vel implicitâ, à Christô sive nasciturô, sive natô, moriturô, vel mortuô. 3.tio Secundùm strictam significationem, prout scilicet est societas eorum, qui fidem habent in Christum jam natum et passum, consummatis omnibus redemptionis humanæ Sacramentis, et Mysteriis.

33. Observandum 2.do hîc non agi de Ecclesiâ secundùm primam vel tertiam considerationem, sed juxta secundam; de qua duo quæruntur. 1.um An Ecclesia hoc modô sumpta Christum antecesserit, et ita in Veteri Testamento floruerit, ut illius Temporis fideles veri fuerint Christiani. 2.um Quandonam inceperit ida Ecclesia, et in quo homine primum exordium sumpsisse verisimiliter asseri

posit, an in Adamo, vel Abele p. pro mi- 19
bus duabus solvendis quæstionibus ponitur

Conclusio 2da

Ecclesia Christi non tantùm natalem 34.
Christi antecessit, sed etiam ita floruit
tempore legis naturæ et Scriptæ, ut tunc
temporis veros extitisse Christiano Reli-
gionis cultores asseri meritò possit. Hæc
verò probabiliter initium habuit in ipso
Abel.

Pb. 1.a pars Conclusionis 1.o Quia illi 35.
veri fuêre Christiani, qui Christianum vi-
tæ genus et institutionem sequebantur
qui Christum venturum cognoverunt, qui
Christianô, non Judaïcô more vivebant.
atqui tales fuêre fideles in Lege naturali
et Scriptâ. Ergo p.

Pb. min. testimonio Eusebii lib. Hist.
c. 4. ~~qui~~ ubi, postquam longa oratione de-
monstravit, quòd licèt Christianum nomen
novum sit, Religio tamen Christiana haud
nova sit, sed inde jam à primô conditu ge-
neris humani instituta et exulta fuerit; ne-
non Christus Abrahamo, Isaac, Jacob, Moysi
et aliis deinceps Prophetis apparuerit, eisque
responsa dederit, ac proinde ab ipsis cognitus
fuerit; tandem concludit, Religionem, quæ
ab antiquis illis viris exulta fuit, et nuper
per Christi doctrinam et prædicationem
patefacta, esse omnium primam et an-
tiquissimam. Idem docet lib. 1. De-
monst. Evang. c. 5. Additque lib. 6. hos Pa-
triarchas Christianô more duntaxat, non
Judaicô vixisse.

Pb. 2.do Quia illi pertinent ad Eccle-
siam Christi, qui Salutem æternam non-

20 sunt assecuti, nisi per fidem in Christum; et quorum eadem planè fuit fides ac nostra, idem Caput Christus: atqui inter viros justos, qui tempore Legis naturæ et Scriptæ floruerunt, nullus æternam Salutem consecutus est, nisi per fidem in Christum; atque eorum eadem plane fuit fides ac nostra, idem quoque Caput Christus. Ergo p.

Min. 1º Salvi facti sunt per fidem in Christum: ita expressè docet S. Augustinus Epist. 187. aliàs 57. ad Dardanum c. ii. n. 14. ubi postquam dixit voluisse Christum mediatorem nostrum, ut Sacramentum regenerationis nostræ manifestum esset, addit: Erat autem antiquis justis aliquod occultum, cùm tamen et illi eâdem fide Salvi fierent, quæ fuerat suô tempore revelanda. Et Ep. 190. aliàs 157. ad Optat. c. 2. n. 8. disertè docet, neminem Salvum factum fuisse seu ante, seu post Incarnationem, nisi per fidem in Christum.

2º. Eorum etiam fuit eadem fides ac nostra: ita S. Augustinus Ep. 102. aliàs 49. quæst. 2. n. 12. Sicut nos, inquit, in eum credimus, et apud Patrem manentem, et qui in carne jam venerit; sic credebant in eum antiqui, et apud Patrem manentem, et in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur, idcò fides ipsa variata, vel Salus diversa est. Idem docet Epist. 187. aliàs 57. supra citatâ: Illi credebant, inquit, Incarnationem futuram, nos autem credimus factam.

3º. Idem etiam Caput fuit Christus, ut docet Augustinus Conc. 3. in Psal. 36. Om-

nes, inquit, quia ab initio Sæculi fuerunt justi, 21
caput Christum habent. Idum enim venturum
esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus,
et in ejus fide et ipsi sanati sunt, in cujus et
nos; ut esset et ipse totius caput Civitatis Jeru-
salem.

Ob. 3°. Quia eadem fuit Ecclesia apud
antiquos fideles ante Christum natum, quæ
est apud nos post Christum natum. Ergo ante
Christum fuit Ecclesia.

Ob. ant. ex S. Augustino Serm. 4. de Ja-
cob et Esau aliàs 44. de Diversis. Ecclesiam,
inquit, accipite, non in his solis, qui post
Domini adventum et nativitatem esse cœpe-
runt sancti, sed quotquot fuerunt sancti, ad
ipsam Ecclesiam pertinent. Et in Psal. 128.
docet, olim jam et ex quo sancti vocati fuerunt
jam fuisse Ecclesiam; eam fuisse in Abel, in Enoch,
in Domo Noë, in Abraham, in Loth, in po-
pulo Israël, atque tandem venisse ad
Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Idem docet S. Gregorius Magnus Hom. 19.
in Evang. de parabolâ patris familias mittentis
operarios in vineam, ubi, Quis, inquit, patris-
familias similitudinem rectius tenet, quàm
Conditor noster.... qui habet vineam, uni-
versalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel jus-
tô usque ad ultimum electum, qui in fine
mundi nasciturus est, quot sanctos pertulit,
quasi tot palmites emisit.

Denique Christus omni tempore, etiam
in ipsâ primâ hominis ex limô formatione
primum ac maximum fuit fidei ac Religio-
nis objectum. Quôcunque enim limus expri-
mebatur, Christus cogitabatur homo fu-
turus, ait bene Tertullianus. Ergo eadem
fuit ante Christum Ecclesia, ac nunc apud nos est.

22.
36. Pb. 2da pars Conclusionis. 1.º Quia sic innuere videtur Apostolus Heb. 11. v. 4. ubi fidem Patrum Veteris Testamenti commendans, incipit ab Abel his verbis: Fide plurimam hostiam Abel, quàm Caïn obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus. Atqui Apostolus istam tum fidei, tum fidelium commendationem, ac proinde ipsius Ecclesiæ enumerationem ab Abel, Adamô prætermissô, incipere videtur, eo quòd, postquam Adam peccavit, de eo nihil eximium narret Moyses in Genesi; atque ideò nec ab ipso fidelium et Ecclesiæ ~~initi~~ initium ducere voluit Apostolus. Ergo Ecclesia probabiliter initium videtur habuisse in Abel.

Pb. 2.do Tum quia Abel omnium primus aliquô certè signô sensibili Deum coluisse legitur, eo, quem oportebat, pietatis, ac religionis sensu, ut Deo probaretur et placeret; prout testatur Scriptura Gen. 4. v. 4. Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus. Tum quia conveniens fuit ac consentaneum, ut Ecclesia, quam in Symbolô Sanctam profitemur, ab eô inciperet, in quo primùm inter homines Sanctitas et innocentia sine interruptione perseveravit, in signum Sanctitatis, quæ in Ecclesiâ Christi nunquam esset defectura. Atqui primus omnium hominum talis fuit Abel, non verò Adam et Eva, quos constat excidisse à justitiâ et Sanctitate, in qua conditi fuerant. Hinc non tantùm justus dicitur Abel, sed etiam veluti justorum primus commendatur à Christo Matth. 23. v. 35. Ut veniat, inquit, super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter Templum et altare. Tum denique, quia Abel fuit typus et figura Christi et Ecclesiæ: fuit enim pastor, virgo, et Martyr,

8
14

ut observant SS. Patres; sicque triplex etiam 23
repræsentavit genus hominum qui sunt in Ecclesiâ, scilicet, Pastorum, Virginum, et Martyrum; eorum enim dux fuit et antesignanus.

Ob. 3.º ex S. Augustino. Enarrat. in Psal. 142. n. 3. loquens de civitate Dei, id est, Ecclesiâ, sic habet: Hæc civitas initium habet ab ipsô Abel, sicut mala civitas à Cain.

Idem docet S. Gregorius Magnus hom. 19. in Evang. ubi ait; Ecclesiam incipere ab Abel justô, usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1. contra 1.mam Conclusionem. Ex 37.
istâ Conclusione sequitur, plura esse fundamenta Ecclesiæ. atqui hoc est contra Apostolum negantem aliud posse poni fundamentum præter Christum. 1. Cor. 3. v. 11. Ergo &c.

Resp. Dist. Maj. sequitur plura esse fundamenta ejusdem rationis et ordinis atque primaria. Neg. diversæ rationis et ordinis et subordinata, seu præter primarium, etiam alia sed secundaria tantùm. conc. Maj. et Neg. min. et cons. Aliter Christus, aliter Apostoli, aliter Prophetæ fundamentum Ecclesiæ appellantur. Christus est fundamentum primarium; tum quia eam sanguine suô acquisivit, et sanctificavit: tum quia fides in Christum absolutè necessaria est, sine qua salus æterna obtineri nunquam potest. Neque enim aliud nomen est sub cœlô datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Act. 4. v. 12. Apostoli autem et Prophetæ fundamenta dicuntur secundaria Ecclesiæ, in quantum doctrinam

24 Salutis de Christo Servatore divinitus acceptam hominibus annuntiarunt: Prophetæ quidem obscurius; Apostoli autem manifestius et plenius: Prophetæ sunt fundamenta minus proxima; Apostoli autem propinquiora. Hinc in Symbolo Ecclesia ab Apostolis dicitur Apostolica, non verò à Prophetis Prophetica.

38 Ob. 2.do contra primam partem Conclusionis secundæ. Ante Adventum Christi eadem non fuit Veterum fides, ac nostra, imò nulla fuisse dicetur, nam ait Apostolus*: Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eandem fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. Ergo ante adventum Christi non erat fides, nec consequenter Ecclesia, quæ sine fide stare non potest, siquidem est ipsamet fidelium collectio.

* Galat. 3. v. 23. et 24.

Resp. dist. ant. Eadem non fuit Veterum fides, ac nostra, quantùm ad modum conc. quantùm ad substantiam neg. ant. Equidem non fuit eadem Veterum fides ac nostra quantùm ad modum 1.o Ex parte objecti; quia licèt idem fuerit, et sit fidei objectum nempe Christus Mediator Dei et hominum; alia tamen fuit ejusdem objecti conditio respectu Veterum sub antiquo Testamento, alia respectu nostri sub lege Evangelicâ: illi enim credebant in Christum nascituum, et morituum; nos autem credimus in Christum natum et mortuum. 2.o Ex parte actûs et modi credendi: nam antiqui quamdiu fuerunt sub umbre Veteris testamenti, ad fidem explicitam in Christum non tenebantur, sed sola ipsis sufficiebat implicita; quia nondum venerat tempus manifestationis et fidei magis evolutæ, de qua hic loquitur Subnomi-

Prima 00. p. 15.

ne fidei Apostolus, non quod velit antiquos in 25
veteri lege nullam omninò fidem habuisse, cùm
disertis verbis dicat, nos sub lege custoditos fuisse
in eandem fidem ℘. Quoad substantiam verò
eadem apud Veteres fides fuit cum nostra:
Tempora solummodò variata sunt et verborum
soni non verò fides. Inventurum enim credebant,
nos in eum, qui jam venit: eadem tamen fides
utrosque conjungit, et eos, qui venturum esse
Christum, et eos, qui eum venisse crediderunt.
inquit S. Augustinus Tract. 45. in Joan.

Ob. 3tio Ecclesia fundata est à Christo 39.
Dominò super ~~Petrum~~ Petrum, ut patet ex
his Christi verbis*: Tu es Petrus, et super * Matth. 16. v. 18.
hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Ergo
non erat ante Christi adventum. Hinc S. Au-
gustinus in Psal. 149. dicit: Ecclesiam ince-
pisse ab Jerusalem, atque hinc extendi ad
omnes nationes. Et in 1. Epist. S. Joan. ait:
Ibi inchoatam esse Ecclesiam, ubi venit
de coelo Spiritus Sanctus, et implevit in
unò loco sedentes centum viginti.

Resp. Dist. Ant. Ecclesia secundùm
strictam significationem sumpta, et pro-
ut est societas eorum, qui fidem habent
in Christum jam natum et passum, fun-
data est à Christo super ipsum Petrum,
conc. Ecclesia in latiore significatio-
ne sumpta, quatenus nempe includit
multitudinem omnium fidelium tam
Veteris quàm Novi Testamenti Neg.
ant. et Dist. etiam cons. Ergo non erat
ante Christi adventum eò modò, quo
nunc est, quatenus scilicet credit in eum,
qui jam venit, et passus est, et de qua
intelligendi sunt textus Matthæi, et

26 S. Augustini, conc. Non erat Ecclesia simpliciter, quantùm ad substantiam et fidem in Christum licèt venturum duntaxat, tametsi nondum explicitam et evolutam, Neg. cons. Responsio patet ex superiùs dictis.

40. Ob. 4.to Si fuisset Ecclesia Christi in antiquò Testamento, possent etiam Veteres appellari Christiani. Atqui nomen hoc primùm post Christi ascensionem audiri coepit, cùm scilicet Antiochiæ Discipuli primùm cognominati sunt Christiani. Ergo p.

Resp. Neg. sequel. Maj. Licet Veteres non fuerint appellati Christiani, re ipsa tamen fuisse Christianos docet Eusebius lib. 1. Hist. c. 4. Nam, cùm Christiani nomine, inquit, nihil aliud significetur, quàm vir, qui per Christi cognitionem atque doctrinam, modestiâ, justitiâ, tolerantiâ, fortitudine, et pietatis cultûque unius, qui super omnia est, Dei professione ornatus est; hæc omnia veteres illi non minùs studiosè quàm nos exercuerunt.

Idem expressè docet S. Augustinus lib. 3. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum c. 4. Eadem igitur fides est, inquit, et in illis, qui nondum nomine, sed re ipsa fuerunt anteà Christiani, et in istis, qui non solùm sunt, verùm etiam vocantur, et in utrisque eadem gratia per Spiritum Sanctum.

41 Inst. 1.o Veri Christiani debent esse sub gratiâ, nihil enim magis Religioni Christianæ proprium est ac singulare, quàm gratia Joan. 1. v. 17. Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Atqui veteres illi non erant sub gratiâ, sed sub lege. Ergo p.

Resp. neg. min. Quia, etsi veteres illi Legis Mosaïcæ præceptis essent adstricti, justitiam tamen à lege non expectabant, sed tantùm à fide Christi venturi. Neque peccato serviebant, adeoque erant sub gratia potiùs, quàm sub Lege, licque ad Novum Testamentum potiùs pertinebant, quàm ad Vetus, prout diserte tradit S. Augustinus lib. 3. cont. duas Epist. Pelagianorum, c. 4. Porrò propriè sub Lege ii dicuntur, vel qui servitute Legis Mosaïcæ premuntur, gratiâ Dei, quam non agnoscunt, ad eam implendam non adjuti; vel ii certè, in quibus peccatum dominatur, juxta Apostolum Rom. 6. v. 14. ubi ait: Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim sub Lege estis, sed sub gratiâ. 27.

2da pag 16

Inst. 2.do Illi non sunt sub gratiâ, qui Christo capiti non cohærent tanquam ipsius membra. Atqui justi Veteris Testamenti Christo non cohærebant tanquam ipsius membra; siquidem membra non sunt ante capitis productionem, veteres autem illi fuerunt ante Christum, qui est caput Ecclesiæ. Ergo &c. 42.

Resp. Neg. Min. Nam veteres illi Christo cohærebant tanquam capiti per fidem aliâque veræ religionis pia exercitia, quamvis ante ipsum nati essent, prout ait S. Augustinus*. 8

*Lib. de catechiz. rud. c. 19.

Ad probationem dit. Membra non sunt ante capitis productionem, membra corporis naturalis, conc. Membra corporis mystici, quod est Ecclesia, neg. Caput corporis mystici, quod est Ecclesia, Christus videlicet est ab æterno in sinu Patris, licèt novum existendi modum obtineat in sinu Virginis Matris. Imò etiam secundùm naturam humanam dici potest esse ab æterno, in divina nimirùm prædestinatione: quo sensu dicitur Agnus

ocius ab origine mundi; quia nempe, quotquot justi extitere ab origine mundi, et salvi facti sunt, pretio sanguinis ipsius ac merito gratiam et salutem sunt assecuti; atque hoc modo ipsi tanquam capiti adhaesserunt.

43. Inst. 3.tio Unitas Religionis repetitur potissimum ex participatione eorumdem Sacramentorum. Atqui Patres Veteris Testamenti non habuerunt eadem cum nobis Sacramenta, neque idem Sacrificium. Ergo p.

Resp. Dist. min. Et habuerunt alia Sacrificia et Sacramenta suis temporibus convenientia, conc. nec habuerunt. neg. min. Ex S. Augustino Ep. 102. non mutatur Religio licet varia sint, et subinde mutentur Sacramenta et Sacrificia, modo scilicet eumdem fidei Spiritum habeant, et ejusdem Mediatoris sanguine redempti sint.

Vel dici potest, Veteres non habuisse quidem eadem Sacramenta, quoad signa exteriora, habuisse tamen eadem quoad rem significatam, erant enim figura Sacramentorum nostrorum, eaque significabant. Ita S. Augustinus*, quem vide.

* Tract. 26. in Joan. n. 12.

44. Inst. 4.to Veris Christianis promissa est aeterna felicitas: atqui Sanctis Veteris Testamenti promissa non fuit aeterna felicitas, sed tantum temporalis, ut patet ex S. Augustino enarratione in Psal. 73. Ergo p.

Resp. Dist. min. Non fuit promissa felicitas aeterna, ut praemium, quod pertineret ad vetus Testamentum, conc. ut praemium proprium novi Testamenti. neg. min. Quia propter fidem in Christum pertinebant ad novum Testamentum, iis quoque pro-

missa fuit felicitas æterna, quæ beneficium 29
est novi testamenti planè singulare; ut docet
S. Augustinus Epist. 190. alias 120. c. 2. n. 8.

Ob. 5.to Contra secundam partem con- 45
clusionis secundæ. Exordium Ecclesiæ longè
meliori jure ab Adamo, quàm ab Abele repeti
debet; siquidem Adamus et omnium homi-
num primus fuit, et primus suam in Christum
venturum fidem prophetiâ Spiritu declara- R
vit his verbis: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro * Genes. 2. v. 23.
de carne mea. Quæ verba S. Paulus exponit
de Incarnatione: Sacramentum hoc, inquit, ma- * Ephes. 5. v. 32.
gnum est, ego autem dico in Christo et in Eccle-
siâ. Deinde creatus fuit cum virtutibus
et donis gratiæ sanctificantis et justitiæ
originalis; neque tantùm in statu innocen-
tiæ fidem habuit, sed etiam charitatem,
ut ait S. Augustinus. Ergo p.

Resp. neg. maj. ut enim aliquis dicatur
principium, à quo incepit Ecclesia, non sufficit
quod prius habuerit fidem et charitatem, sed
requiritur 1.o ut fidem illam aliquo signô
sensibili, et exteriori, sacrificii nimirùm aut
Sacramenti, palam et apertè professus fuerit.
2.o Ut in ipso primùm facta fuerit distinc-
tio seu separatio ab oppositâ Societate et Eccle-
siâ malignantium. 3.o Ut absque ullâ
prorsùs interruptione servata fuerit ab eô
sanctitas, quam in Ecclesiâ debere esse conti-
nuam certum est, nunquam ab eâ recessuram.
Verùm hæc omnia bonum non habuerunt
in Adam: non primùm; licèt enim habue-
rit primus fidem Mediatoris venturi, eam
tamen non legitur professus signô aliquo ex-
teriori et sensibili per sacrificium aut Sacra-
mentum, neque in statu innocentiæ, ne-
que post lapsum: è contrà verò Abel.

30. fidem suam publicô sacrificiô, ad quod Dominus respexit, protestatus est. Nec secundum: nulla enim in eo legitur facta separatio bonorum à malis; Ecclesiæ Sanctorum et Civitatis Dei, ab Ecclesia impiorum, et Civitate mundi: facta est autem in Abele hac discretio, cùm nempè dicitur Dominus respexisse ad munera ejus, non verò respexisse ad munera Cain. Non tertium: cùm enim Adam lapsus fuerit per peccatum, non potuit esse typus Ecclesiæ, quantum ad Sanctitatem, quæ in eâ stabilis esse debet ac permanens.

46. Ob. 6.to Saltem poterit Adam pro principio Ecclesiæ statui in statu innocentiæ recuperatæ post lapsum. Valde enim probabile est, eum egisse pœnitentiam antequam nasceretur Abel; nec verisimile videtur, eum à gratiâ exuidisse, postquam eam semel recuperavit. Deinde etsi exuidit à gratiâ, in qua conditus fuit, non tamen exuidit à fide, quia peccatum, quô tunc lapsus est, infidelitatis non fuit. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Nec enim pro ido stiam statu dici potest incepisse Ecclesia ab Adam, quia agimus hic de Ecclesia, quatenus fidem suam exteriùs profitetur per sacrificia et signa sensibilia: multô autem Scripturæ testimoniô constat, Adamum obtulisse sacrificium, antequam ab Abele oblatum fuerit; imò nec ubi Scriptura commemorat, ullum aliquandò abeô oblatum fuisse. Hinc S. Paulus Heb. ii. fidem Veterum commendans, incipit ab Abel, tanquam abeô, qui primus omnium legitur obtulisse sacrificium.

Quod additur, Adamum à gratiâ recuperatâ non amplius exuidisse, parum juvat, quia, etsi id constaret, cùm Sanctitas Ecclesiæ continua esse debet, et non interrupta, potiùs su-

mendum videtur initium Ecclesiæ ab eo, qui in- 31.
tegram, et perseverantem habuit, et in quo facta est primum separatio inter bonos et malos, quæ in Abele facta est.

Quod etiam additur, Adamum à fide non excidisse, æquè parùm juvat; nam sola in fide perseverantia non sufficit, nisi ipsi etiam juncta sit perseverantia in sanctitate.

Inst. Initium Ecclesiæ ab eô potiùs repe- 47.
ti debet, à quo per continuam propagationem ortum est genus humanum. Atqui talis est Adam; non verò Abel, ut qui nec filios nec filias habuisse legatur. Ergo p. Maj. pb. à pari. Sicut principium Ecclesiæ malorum activum fuit, et propagativum aliorum post se, scilicet Caïn, quem refert Scriptura gemuisse filios et filias; ita etiam principium Ecclesiæ bonorum. Denique, si Abel fuit initium Ecclesiæ, ubinam illa remansit, postquam Abel occisus fuit à fratre suo Caïn? Ergo p.

Resp. neg. maj. necesse enim non est, ut initium et exemplar sanctitatis ac justitiæ sit principium activum generationis secundùm carnem, quandoquidem sanctitas non transfunditur per hujusmodi propagationem.

Ad prob. maj. neg. ant. Licet Caïn gemuerit filios et filias, non inde sequitur, nequitiam ipsius transfusam fuisse in posteros per generationem; sed tantùm per imitationem et vim exempli mali, ac institutionis perversæ.

Ad ultimum, quod additur, dici potest Ecclesia remansisse etiamnum in posteris Caïn, vel in Adamô et Evâ; nec tamen inferri potest, ab iis eam duxisse initium, cùm nec perseveraverint in sanctitate primùm acceptâ, nec in eis discretio facta fuerit bonorum et malorum; 4ta 18

32 nec aliquô signô sensibili fidem suam professi legantur.

48. Ob. 7mo Ecclesia initium videtur statui debere in Enos, de quo dicitur gen. 4. v. 26. Iste coepit invocare nomen Domini; aut etiam in Seth filio Adæ, à quo propagati sunt homines sancti et justi. Ergo sp.

Resp. neg. ant. Justissimi quidem fuerunt Enos et Seth; at Abel ipsis fuit exemplar sanctitatis et fidei, præsertim quantum ad discretionem et separationem bonorum à malis.

49. Ob. 8vo Ecclesia est collectio fidelium, atqui Abel solus non potuit esse ida collectio. Ergo Ecclesia non potuit esse in solo Abel.

Resp. Dist. maj. Ecclesia completivè sumpta et in ratione communitatis et collectionis, quam importat ipsum Ecclesia vocabulum, ~~como~~ est collectio fidelium, conc. Ecclesia initiativè sumpta et ratione fidei, in qua fundatur, et à qua quisque dicitur esse de Ecclesia et pertinere ad Ecclesiam. neg. maj. et ~~subsidem~~ conc. min. dist. ~~como~~ pariter conseq.

50. Ob. 9no Ab Abraham potius videtur sumi debere exordium Ecclesiæ: de eô enim scribit Apostolus Rom. 4. v. 11. Quòd signum acceperit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium. Ergo sp.

Resp. neg. ant. Abraham dicitur pater omnium credentium, non quòd ab eo primùm facta fuerit discretio bonorum à malis, aut quòd ipse primus omnium fidem protestatus fuerit per aliquod sacrificium exterius et visibile, sed quòd ipse primus omnium novô signô, videlicet acceptæ circumcisionis, ve-

ram fidem et promissionem de Messiâ en suâ Stirpe venturô contestatus fuerit, quamvis jam aliunde declaratam et cognitam exteriùs per sacrificia, quæ processerant in Abel et aliis superiorum ætatum Patriarchis, et fidelibus.

Dicitur etiam Pater omnium credentium hoc sensu, quòd, postquam omnes ferè à veri Dei cultu declinassent ad idololatriam, ipse nunquam à fide recesserit; sed in eâ constanter permanens cæteris etiam factus fuerit exemplar fidei, justitiæ, et religionis, in quo primùm per circumcisionem quæ fuit ~~la~~ signaculum justitiæ fidei, discreti sunt credentes à non credentibus.

Caput Secundum

De Notis seu Characteribus Ecclesiæ. 51.

Explicatâ Ecclesiæ naturâ et origine propositus à nobis ordo exposcere videtur, ut modò veras illius notas seu characteres exponamus, quorum vi à quacunque aliâ hominum societate, quæ vel ipsam mentitur, vel cum eâ similitudinem quamdam videtur habere, secernatur. Cùm enim etiam iis, qui à nobis nostræque fidei professione alieni sunt, ultrò fatentibus, extra veram Dei Ecclesiam nulla sit salus, apprimè unique convenit vestire, ubi illa vera Christi Ecclesia sit: ad hanc cognitionem autem nonnisi certarum quarumdam Notarum, et characterum adminiculô pervenitur, qui non modò notiores ipsâ Ecclesiâ, sed et ita ipsi proprii esse debent, ut saltem simul sumpti nulli alteri possint convenire, ita clari et obvii, nec non cognitu faciles, ut eidem Eccl-